

ter hos in singularibus nonnullis consuli debere, viri cordati sua-
dent, *Hortum floridum Crispini Passai Junioris*, qui rariorum &
minus vulgarium florum icones 325 ad vivam veramque formam
delineatas & secundum quatuor anni tempora divisas exhibet:
Item *Hortos Eichstetenses* rarissimum opus, nec minus pretiosum,
ob exquisitissimas figuras aeneas, quarum 1083 continet. Com-
parari vix posse dicunt 600 imperialibus. Dispersæ turbis bel-
licis sunt cum maximo Reip. literariæ damno tabulæ aeneæ at-
que deperditæ; hinc vix alia operis pretiosissimi editio speranda
est. Proximum ab his sibi vendicant locum *Ferrarii* eruditissimi
Itali *Hesperides*, seu *de Cultu pomorum aureorum*. Instructum opus
hoc itidem exquisitissimis tabulis aeneis est, nec quicquam præter
rationem scribendi, cum stylus nonnullis paulò tumidior videa-
tur, in eo huc usque desideravit eruditus Orbis. *Flora* nunc se sistit,
seu *de Florum cultura liber*, ejusdem autoris opus, elegantissimis
figuris ornatum, & stylo italico pereleganti conscriptum. Huic
penè non dissimilis est *Horticultura* cum figuris variorum hortulani
instrumentorum, quã edidit *Laurenbergius*. Ulterius, sed nunquam
fatis laudato conatu, progressi sunt *Camerarius* & *Mylius*, quorum
ille *Hortum Philosophicum & Medicum*, hic *Philosophicum* conscrip-
sit. Sed hi omnes cum rari pariter sint atque pretiosi, verius forsan
nostra hac ætate dixeris: *Si hortos in bibliotheca habes, nihil deerit.*

§. XXII.

Redimus nunc mente in eos hortos, unde paululum aberamus,
ut varias ibi inscriptiones, acuta dicta, & emblemata ingeniosissi-
ma, quorum magnam partem in *suis Deliciis* exhibet *Chytræus*, in-
tueamur & admiremur. Sed chartæ angustia non ferunt, ut huc
transcribam, quæ magno numero alibi reperies. Non tamen
possum, quin hic loci eum horti usum, qui & doctrinam auget,
moribusque consulit ac famæ, brevissimis tradam. Horti nostri
magistri sunt, qui Protoplastorum nobis lapsum proponunt, pro-
pter quem ex Paradiso horto voluptatis & deliciarum sunt ejecti.
Proponunt nobis ejusdem remedia, dolores nempe exquisitissimos,
qui in horto Gethsemane cœperunt, & in horto Josephi Arima-
thæi, ubi dux vitæ sepeliebatur, deserunt. *Ea res*, ait *Cyrillus*
Alexan.